



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De nonnullis casibus, in quibus percutiens Clericum vel Monachum
excommunicationem canonis incurrit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. III.

De nonnullis casibus, in quibus percussus Clericum vel Monachum excommunicationem canonis incurrit?

Primò qui Clericum sibi vim inferentem vi repellit in continenti, non incurrit canonis excommunicationem, quia vim vi repellere omnia jura permittunt, *cap. si verò 3. §. si verò clericum h. t.* Secundò non incurrit hanc excommunicationem Prælati, aut Magister, correctionis causâ percussus Clericum, vel Monachum sibi subjectum, seu discipulum; vel qui percussit Clericum cum uxore sua, matre, filia vel sorore turpiter agentem, ob justam causam doloris ab excommunicatione excusantis, modò percussus in continenti; vel si impuberes Clerici se invicem percussunt, qui nondum plenum usum rationis habent, vel si adultiores etiam Clerici per jocum; aut ludendo inter se percussant, quia in tali casu nullum peccatum intervenit.

§. IV.

In quibus casibus Episcopus Diœcesanus possit absolvere ab excommunicatione contractâ ob percussionem Clerici?

Præter ea, quæ §. 2. dicta sunt, conceditur etiam potestas Episcopis absolvendi ab excommunicatione ob Clerici percussionem, in articulo mortis, ubi nulla reservatio locum habet, juxta *Triden. Sess. 14. cap. 7.* & hinc in tali casu simplex etiam sacerdos absolvere po-

test à censura, si Episcopus adiri non possit. Secundò rescribitur *cap. ea rescribitur 13. h. t.* Clemens III. quòd mulieres, senes, infirmi, membris destituti seu mutilati, propter absolutionem ab hac excommunicatione obtinendam, non tenentur Romam excurrere, cum hoc vel istas personas non deceat, vel illis impossibile sit, sed ab Episcopis suis absolvi possint, factâ prius convenienti satisfactione, & si in infirmitate positi, absolvi fuerint, præfatio juamento de sistendo se, ubi convalescerint, Pontifici, vel ejus Legato, mandata illorum exopturi, ne reincidant scilicet in eandem excommunicationem, prout in *cap. statuitur*. Tertio Romam excurrere non debent, propter absolutionem obtinendam, qui non sunt sui juris, ut sunt servi, mancipia &c. vel sunt valde debiles personæ, ut nequeant laborem eundem Romam &c. in se suscipere &c. qui omnes ab Episcopo absolvi possunt, cuius est etiam judicare de potentia eundem Romam &c. *cap. Mulieres t. h. t.* Quarto inter eos, qui excusantur in Romam pro obtinenda absolutione, numerantur etiam pauperes in *cap. quod de his 26. h. t.* nisi mendicando latrem venire possint Romam, & talis mendicatio illis consueta sit. Quintò juxta *cap. de catero 11. h. t.* excusare potest ab itinere hoc Romano quodlibet impedimentum, quod non permittit sine periculo ire Romam, quo in casu, ut & pluribus alijs, qui videri possunt apud Auth. Method. tam hinc quàm sequentibus. § §. ubi etiam satis insinuat, quòd modus in talibus absolveatis, si impedi-